



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XIII. Deo jucundum spectaculum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

mus cum Episcopis Palladio, Dioscoro, Evagrio, octogenarium anachoretam, post sanatos aliorum morbos omnigenos, hydrope insanabili tumidum, & inter agritudinis molestias lætiorem, quām aliās umquam. Introspiciamus in alio tugurio anachoretam Stephanum, inter chirurgi manus, putria membra resecantis, ab opere storearum texendarum non cef-
santem, & gementibus, atque horrentibus cæteris, dicentem: Filii, quidquid Deus facit, ad bonum finem facit, sit benedictus. Ecquis nostrūm à tali spectaculo non redeat animosior, & divinæ voluntati conjunctior, iteretque centies, Deus sit ubique & in omnibus benedictus? Ecquisnam, si quid Christianum ac divinum sapit, non lubens iter benè longum eme-
tiatur, ut ejusmodi spectaculo pascat animum, & supra metus ac dolores eri-
gat?

XIII.

*Deo jucun-
dum specta-
culum.*

Præsertim cùm Deus ipse amet ac gaudeat illud contemplari, & veluti gloriæ suæ favens, si-
bimet inde applaudat. *Quām pulcrum,*
inquit,

inquit Minutius Fælix in Octavio, *spectaculum Deo!* Cùm Christianus cum dolore
congreditur: cùm adversùs minas, & supplicia, & tormenta componitur: cùm strepitu-
rum mortis, & horrorem carnificis irridens,
insultat: cùm libertatem suam adversùs Re-
ges & Principes erigit, soli Deo, cuius est, ce-
dit. D. Stephanus, operarius victoriæ Dei,
ut Tertullianus de Jobo loquitur, Coro-
na Dei, & à Deo coronandus, cùm esset
agni instar inter lupos, *intendens in cælum*
vidit gloriam Dei: nîl aliud inter patien-
dum scilicet intuebatur, quàm quod vidit.
In eo tota ipsius mens defixa erat, ut ho-
nor Domini cresceret, quibusvis honoris
sui ac vitæ dispendiis. Et ecce tibi JE-
SUM stantem à dextris virtutis Dei:
stantem, inquam, non auxiliit tantùm, pa-
trociniive, aut honoris caufâ: sed etiam,
ut eò pleniùs, & commodiùs, jucundo
sibi spectaculo fruatur, famuli sui cum do-
loribus & morte congradientis. Solemus
enim ad magna & repentina spectacula,
ut ea melius oculis capiamus, exsurgere.
Nec soli Stephano id contigisse, verùm

& Mar-

& Martyribus aliis, ait Cyprianus, epistolâ ad Martyres & Confessores: *Vidit admirans præsentium multitudo cælestè certamen...* O quale illud fuit spectaculum Domino, quām sublime, quām magnum, quām Dei oculis, Sacramento ac devotione militis ejus, acceptum! *Quām latus illic Christus fuit!* *Quām libens in talibus servis suis pugnavit, & vicit!*

XIV.
*Et honoris-
ficum.* Legimus sæpè historiam Jobi, sæpiùs legi dignam, cùm digito Dei scripta sit, & quidem primo inter sacros libros loco, & à Mose, ut plerique existimant, ad solatium Israëlitarum, Ægyptiaca tyrannide afflitorum. Nonne capite 2. videatur, benè attendentibus Scripturæ verba, gloriari de Jobo Deus, & quasi applausum & gratulationem flagitare, quòd eum habeat servum, tam fidelem constanterque, ut in quibusvis calamitatibus iteret, *sit nomen Domini benedictum?* Considerasti, inquit, servum meum Job, quām simplex & rectus sit, & post tanta mala *adhuc retinens innocentiam suam.* Id expendens Tertullianus, libro